

eum maneat, nec opus est dicere. Erit enim ibi sine dubio compensatio bonorum operum malorumque et velut in statera posita utraque pars, quae demerserit, illa sibi eorum, quo momentum vergitur, operarium vindicabit. Si ergo malorum multitudo superaverit, operarium suum pertrahet ad Gehennam; si vero maiora fuerint opera bonorum, summa vi obsistent et repugnabunt malis atque operatorem suum ad regionem vivorum ex ipso etiam Gehennae confinio revocabunt. Verum haec non tam ex nostro sensu quam ex divinis Scripturarum sermonibus affirmantur. Sic enim Scriptura pronuntiat dicens: « Ipse reddet unicuique secundum opera eius. » Non solum enim in Gehenna suppliciorum sed et in regno caelesti multae erunt differentiae: « Mansiones enim, inquit, multae sunt apud Patrem meum. » Et iterum: « Alia gloria solis, alia gloria lunae. » Et quod vere amplius admirandum sit, ut ostenderet quod etiam in minimis ratio et mensura pensabitur meritorum, « Et stella, inquit, ab stella differt in gloria ». Ut per hoc ostenderet quia et inter singulos eorum qui in regno erunt, futura sit differentia.

22. Haec igitur omnia scientes, non nos subtrahamus ab operibus bonis, neque desperationis obtentu desidia nos atque ignaviae concedamus. Neque si ad splendorem solis ac lunae pervenire non possumus, etiam stellae nobis quamvis inferior claritas contemnenda est. Tantum est ut aliquantulum lucis virtutum merito quaeramus, tantum est ut quamvis minimum caeli tamen ornatum mereamur explere. Si aurum, si lapis pretiosus esse non possumus, argenti saltem expleamus locum; tantum ne in illam materiam convertamur quam facile ignis absumit, ne lignum, ne foenum inveniamur aut stipula. Simus in